

M. 259, 21

Zc
5840
54.

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS

X 205 46 79

Funus
VIRI

NOBILISSIMI, ATQVE AMPLISSIMI,

DN.

THEODORICI

Meerbachs

Jur. Utr. Licent. Potentissimi Saxoniae Ele-
ctoris Secretarii, & Electoralis ac Ducalis Con-
sistorii, quod Lipsiae est, Vice-Proto-
notarii indicit,

& ut illud

Hor. III. frequenti praesentia coonestent,

Proceres ac Cives Academicos

omnes

iis, quibus par est ac decet, precibus rogat.





Nter alia, quibus Salvator discipulos suos ob prædictum à se abitum ad patrem, hoc est, acerbissimam passionem ac mortem suam nimium confusos ac perturbatos in hodierno Evangelio erigit, legimus etiam ista: *Hæc per proverbialocutus*

sum vobis. Veniet tempus, cum non amplius in proverbii loquar vobis, sed palam de patre meo annuntiabo vobis. Quæ

Job. XVII. 25. verba licet de eo tantum tempore exaudienda sint, quod resurrectionem & ascensionem Christi in cælos proximè infecutum est, quippe in quo Apostolis ante resurrectionem Christi, ob persuasissimam, Salvatorem temporale regnum exsuscitaturum esse, opinionem, mysteria de regno DEI à magistro perspicuè satis exposita non intelligentibus, partim per suavissimas CHRISTI colloquutiones, partim per missi ad ipsos Spiritus Sancti suggestiones, satis luculenter ostensum fuit, quæ sit voluntas DEI, quâq; viâ ad regnum cælorum perveniri possit; Id quod & Chrysostomus annotavit, cum in verba citata sic commentatur: λέγει τὸν τὴν ἀναστάσεως χρόνον. Τότε παρρησία πρὸς τὸν πατέρα ἀναγγελεῖν ὑμῖν καὶ γὰρ ὅτι τεσσαράκοντα σὺν ἡμῖν καὶ διαλέχθη αὐτοῖς, συναλιζόμενοι καὶ λέγων τὰ πρὸς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. νῦν μὲν γὰρ ἐν φόβῳ ὄντες, ἔπειθετε τοῖς λεγομένοις τότε ἢ ἀναστάντα ἰδόντες καὶ συνόντες δυνήσεσθε παρρησία πάντα μαρτυρεῖν; non incommodè tamen de altera quoque vita, quæ

Ho. LXXVI. post mortem expectanda est, accipi possunt. Id, ne alia *in Job. p. 101.* afferamus, non solum patet exinde, quod, quæ Christus Discipulis suis post resurrectionem se daturum esse promisit, certo etiam modo ad vitam æternam sint extendenda, verum ex loco etiam Apostoli persuaderi potest, in quo cognitionem mysteriorum divinatorum, quæ in his terris obtineri potest, cum illa, quæ fideles in altera vita manet, componit:

Videmus, inquit, nunc per speculum in enigmate, tunc autem

1. Cor. XIII. à facie ad faciem. Uti enim Paulus notitiam DEI, quam in mundo

mundo homines possident, ἐν αἰνίγματι, eam autem, quæ in
 cælo exspectatur, πρὸς ὄψωπον πρὸς ὄψωπον fieri affirmat; ita
 simili locutione Christus apud Johannem cognitionem Apo-
 stolorum ante resurrectionem suam habitam, ἐν παροιμίαις,
 post resurrectionem autem possessam, παρρησία contingere
 ostendit. Idem verò phrasis ἐν παροιμίαις λαλεῖν valet, ac sic
 dicere, ut Auditor non statim rem prolatam intelligat. Est
 enim παροιμία, ut à quibusdam apud Erasmum describitur,
 λόγῳ ὠφέλιμος ἐν τῷ βίῳ, ἐπικρύψει μετρία πολὺ τὸ χεῖσιμον
 ἔχων ἐν ἑαυτῷ, vel, ut ab aliis finitur, λόγῳ Ἰπικαλύπτων τὸ σαφές
 ἀσαφία. Contra ea παρρησία ἀναγγέλλειν, rem ita tradere signi-
 ficat, ut à nullo non, quid loquens velit, sciri possit. Quæ si
 paulò curatiùs expendantur, nihil ad investigandam rerum
 divinarum tam hujus, quàm alterius vitæ cognitionis natu-
 ram occurret accommodatius. Neminem divinæ imagi-
 nis amissionem edoctum præterit, quantum in percipiendis
 rebus divinis, mens nostra, dum adhuc in terris est, cæcutiat.
 Nec ullum, nisi qui vel sacras literas planè non inspexerit, vel
 imaginem divinam, in vita æterna planè recuperatum iri,
 prorsus non crediderit, fugit, quanta cognitionis perfectio in
 cælo futura sit. Quemadmodum enim Deum ipsum ibi vi- 1. Job, III, 2.
 debimus καθὼς ἔστι, ita perfecta scientia non naturam modò,
 sed voluntatem quoque ejus divinam, spectabimus, intelli-
 gemus, sciemus, apprehendemus. Cæterum ad perfectam
 hanc DEI notitiam ex hac vita, in qua ἐν παροιμίαις λαλεῖται,
 non ita pridem pervenit, Vir Nobilissimus, Amplissimus &
 Consultissimus, Dn. THEODORICUS MEERBACH, J. U.
 Licent. Potentissimi Electoris Saxoniae Secretarius, & Consi-
 storii Electoralis ac Ducalis, quod Lipsiæ est, Vice-Protono-
 tarius. Is enim animam, peccati, cui obnoxia erat, labe, quo
 minus perfectè res divinas nosset, impeditam, ante aliquot
 dies è corpore efflans, in eum illam transmisit statum, in quo
) (2 qvid

Proem. in
Chiliad.

1. Job, III, 2.

quid res divinæ sint, accuratissimè perspicit. Sed mittendæ sunt nostræ de hac felicitate cogitationes. Nam non tam, cujus felicitatis post mortem particeps sit B. Meerbachius, quàm quid in vita ipsi contigerit, consuetudo enarrandum injungit. Natum itaque accepimus die XII. Julii An. M. DC. XLIII. in monasterio Ducatus Gothani, Reinhardtsbrun/ patre Dn. WOLFFGANGO MEERBACHIO, Præfecturæ Ernstrodensis & Redituum præfecto, matre verò ELISABETHA, DN. GEORGII WEBERI, Gerprodensis Pastoris filia. Non tum demum, cum grana spica concepit, num opulenta sibi speranda sit messis, agricola intelligit, sed statim, cum prima ex sulcis prodire solet herba. In primis etiam annis parentibus suis spem faciebat MEERBACHIUS, non exiguos olim in studiis se facturum esse progressus, qui, ne spem ipsi suam destituerent, optimis magistris tradiderunt filium bonis artibus expoliendum. Inter illos usque in decimum annum scholæ patriæ præceptores eum erudierunt. His successit DN. MATTHÆUS SALTZMANNUS, Scholæ Friderichsrodensis Rector, qui tamdiu commissum sibi MEERBACHIUM informavit, usque à DN. GEORGIO FRANTZKIO, Consiliario & Cancellario Gothano, (qui, cum Scholam Friedrichsrodensem principali autoritate nixus visitaret, quàmque virum MEERBACHIUS se in examine præstitis set, videret, insignem in illum affectum concipiebat) Gotham translatus, florentissimi, quod ibi extat, Gymnasii Magistris, REYHERO, HESSIO, BUFFLEBIO, ut & post mortem FRANTZKII, ab hospite & patrono indulgentissimo, DN. VITO LUDOVICO GOCKELIO, Serenissimi Principis Saxo-Gothani in Ecclesiasticis & rebus ad tutelam spectantibus Consiliario spectatissimo, DN. M. JOHANNI RASENBERGIO concrederetur. Non benè illi studiis consulunt suis, qui humanioribus artibus & principiis Philo-

Philosophicis fatis imbuti, Academias floccifacientes, in Scholis tantum disci posse, quantum in Academiis, persuasi, nescio cuius commodi spe, studiis superioribus accommodatissimam ætatem aut Terentii expositione, aut Hesiodi & Homeri resolutione consumunt & perdunt. Non sentiebat ita noster, qui statim, ac dignus, qui Academias invisere posset, judicaretur, in Ienensem se recipiebat. Factum hoc est Anno M. DC. LXII. mense Junio. Commendatum enim à DN. ERNESTO LUDOVICO AVEMANNO, Consiliario & Cancellario Gothano, DN. CHRISTOPHORUS RICHTERUS, Facultatis Juridicæ in Academia Jenensit. t. Ordinarius & domo recipiebat, & mensæ admovebat, & quibus modis vel in studiis vel in aliis posset, adjuvabat. Tametsi autem Juribus operam dare statuisset, tantum tamen aberat, ut multorum, perverso licet, more philosophiam, tanquam studioso Juris parum profuturam, adspernaretur, ut potius, quicquid ad illam pertinet, ducibus DN. M. OLPIO, DN. M. MULLERO, DN. L. GOETZIO, non modò accuratè & cum summa diligentia perciperet, sed publicè quoque Præsidi DN. M. WONNA, de Liberalitate disputaret. Atq; hinc intelligi potest, quàm feliciter in addiscendis Juribus progredi potuerit, præcipuè, cum post præceptores philosophicos, quatuor illi egregii Astrææ sacerdotes, DN. D. RICHTERUS, DN. D. STRUVIUS, DN. D. BECHMANNUS, DN. D. FALCKNERUS, in studio Juris viam ipsi præirent. Inde enim factum est, ut, quantam eruditionis suppellectilem sibi comparaverit, ostensurus, non modò Anno M. DC. LXVI. Præsidi DN. D. RICHTERO de Jure Emphyteuseos, sed etiam anno sequenti Præsidi DN. D. STRUVIO de Consuetudinibus Rationalibus & Irrationalibus summa cum laude disputare posset. Accidebat hoc tempore, ut DN. BURCKHARDUS BERLICHIIUS, Consiliarius Electo-

): (3

ralis,

ralis, filium natu medium, Jenâ Dresdam revocaturus, qven-
dam simul ad se mitti à Jctis Jenensibus peteret, cujus operâ
filius in continuando studio Juridico uti posset. Facile per-
movebant perspecta MEERBACHII eruditio & morum inte-
gritas istos, ut nostro, qvo munus hoc sibi deferri pateretur,
autores essent, qvi consilium non negligens, Dresdam cum
Berlichio proficiscebatur, ubi cum per insequentem hyemem
suam dexteritatem satis approbasset, à laudatissimo Consilia-
rio cum filio jussus est Germaniam vicinasqve urbes lustrare.
Rediens Anno M. DC. LXIX. Dresdam non multo post à
Præillustri DOMINO, DN. HENRICO, L. B. à Frisen, Poten-
tissimo Saxoniae Electori à dirigendis Consiliis intimioribus,
ad Secretarii, qvem vocant, munus, præstito juramento &
constituto annuo salario admotus fuit. Quo per quadrien-
nium insigni cum fide, de qua singularis, qva in ipsum Præ-
Illustris Baro usq; ad ejus mortem propendebat, gratia testa-
tur, administrato, Anno M. DC. LXXIII. qvi vices ProtoNota-
rii in Consistorio Lipsiensi sustineret, vocatus fuit. Huic offi-
cio præfectus, studia more aliorum, qvibus statim, ac sparta,
quam ornant, data est, vilia fieri solent, non neglexit. Ut
enim subinde à Patronis, ut se majoribus præpararet, sollicita-
batur, ita & ipse, quantum in se fuit, stimulis eorum obsecun-
davit. Cumqve ad hoc non parum profuturum esse, cense-
retur, si gradu quodam Academico exornaretur, anno M.
DC. LXXVIII. à Facultate Juridica, examine rigoroso exant-
lato, lectio neqve cursoria, nec non disputatione de Jure di-
vortiorum non sine præclara laude habita, in Academia Je-
nensi Jurium Licentiatus renunciatus fuit. Fide maritali d.
9. Novemb. M. DC. LXXIII. sibi adjunxit virginem ornatis-
simam, SABINAM ELISABETHAM, DN. DAVIDIS **Wie-
prechts**/ Consistorii Lipsiensis Protonotarii filiam, ex qua fi-
lios duos, CHRISTIANUM **Gottlob**/ & THEODORICUM
FRI-

FRIDERICUM suscepit. Mores, si peccata, quæ renati quoti-
die committere solent, excipias, labe caruerunt. Neq; enim
quicquam eorum, quæ in DEum, superiores, pares & inferi-
ores ab homine frugi proficisci, par est, intermisit. Præci-
cipuè autem id dedit operam, ut omnium amorem sibi con-
ciliaret. Quod hoc facilius impetravit, quo magis pro egregia
sua, quæ pollebat, humanitate, cavet, ne ulli etiam infimæ for-
tis hominum ulla in re unquam molestus esset; quanquam,
quo minus diu hoc honore frueretur, fatorum necessitas ob-
staculo erat. Die enim IV. Aprilis improvise horrore in-
vadebatur, qui licet remediis paratissimis ut expelleretur, ten-
taretur, tamen impediri non potuit, quin die mensis dicti de-
cimo majori vehementia rediret, & post triduum febris ma-
lignæ causa existeret. Huic malo adesse jussus medicus pri-
mum non infeliciter resistebat. Medicamentis enim, quæ
adhibebat, optimis tantum effecit, ut febris planè amittere-
tur. At ut hætenus nullus ægrotorum extitit, cui, sanitate
recuperatâ, timendum non fuerit, ne ejectum semel corpore
suo molestum hospitem rursus recipi oporteret, ita Meerba-
chius quoq; die V. Maji, morbo, quem omnes putabânt abiisse,
denuo infestabatur, & eo quidem, velut antea factum erat,
non solo, sed insolito horrore, lento calore, extremorum
frigidityte, artuum tremore, vigiliis, sudore colliqvativo &
deniqve convulsionibus stipato. Inde factum, ut omnis re-
cipiendæ sanitatis spes interiret. Quod ipse quoqve Meerba-
chius persentiebat. Itaque uxorem, liberos & necessarios
alios valere jussit, accersitoqve Confessionario subeundæ
cœlesti patriæ peccatorum confessione, SS. Evcharistiæ
usurpatione & precibus se præparavit. Nec diu post id
factum est. Commendatus enim sacerdotali benedi-
ctione DEO die XIV. Maji vitam cœlestem cum mun-
dana commutavit. O felicem animam! Ita enim ibi, *ωρσ-*

ωρσ-

Zc 5840 QK

ἄπὸν πρὸς θεῶν πρὸς θεῶν speculatur Deum, ita ibi παρρησία intel-
ligit mysteria divina, quæ, dum corpori in his terris inclusa
erat, ἐν παροιμίαις dicta esse apparebant. Utinam, utinam
eadem nobis omnibus competeret felicitas! Sed veniet tem-
pus, quo non amplius in proverbiiis nobiscum loquetur DE-
us. Certo id futurum esse, toties percipimus, quoties con-
cionibus in funeribus defunctorum haberi solitis interfumus.
Idem fiet hodiè quoque Hor. III. pomerid. quando exanime
Meerbachii corpus ad sepulchrum suum consueta pompa de-
ducetur. Ut itaque non infrequenter supremum officium
Viro laudatissimo exhibeant, Proceres & Cives Academicos
& decentissimæ nostræ preces, & quòd, quæ se in cœlis felici-
tas maneat, sic discere possint, permovebunt. P. P. Domin.
Rogate A. M. DC. LXXIX.

Typis CHRISTOPH. GÜNTHERI.

W. A.

2.1.1

AN. 259, 21

REC ACADEMIA

Fu

V I

NOBILISSIMI, AT

D

THEO

Deer

Jur. Utr. Licent. Poter

toris Secretarii, & Elec

fistorii, quod Lips

notarii

& ut i

Hor. III. frequenti pr

Proceres ac Civ

om

iis, quibus par est ac

